



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt episcopus non consecretur sine tribus episcopis. xxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

missa sibi careat dignitate, sitque licentia metropolitani alijs post secundam & tertiam commonitionem viduatam Ecclesijs cum consilio Romani pontificis ordinando Episcopum subuenire. Si verò consecrandi Episcopi negligentia prouenerit, ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communionem priuetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, imò metropolitani sui iudicio cedat.

*Quando quis debeat à vicinis prouinciæ Episcopus ordinari. Cap. XXVI.*

**O**SIVS Episcopus dixit: Si contigerit in vna prouincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, vnum fortè remanere episcopum, & populi conuenerint, episcopi vicinæ prouinciæ debet illum prius conuenire Episcopum, qui in ea prouincia moratur, & ostendere quod populi petant sibi rectorem, & hoc iustum esse, ut & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conuentus literis tacuerit, & dissimulauerit, nihilque rescripserit. Satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina prouincia episcopi, & ordinent Episcopum. *Cap. Sar. dicensi. 5.*

*Vt Episcopus nõ consecretur sine tribus Episcopis. Ca. XXVII.*

**N**VLLVS episcopus sine metropolitani permisso, nec episcopus metropolitanus, sine tribus episcopis cõprouincialibus præsumat episcopum ordinare, ita ut alii cõprouinciales epistolis admoneantur, ut se suo responso cõsensisse significet. Quod si inter partes aliqua fuerit dubitatio, maiori metropolitano in electione cõsentiat. *Ex concilio A. ralatensi, cap. 5.*

*Vt episcopus non ordinetur minus quàm à tribus, & si fieri possit archiepiscopus ab omnibus cõprouincialibus. Cap. XXVIII.* *Ex epist.*

**D**E ordinationibus episcoporum super quibus nos cõsulere voluistis, olim in spiritu præcessoris nostri Anacleti quædam iam decreta reperimus. Scimus enim beatissimum Iacobum, qui dicebatur iustus, qui secundum etiam carnem frater domini nūcupatus est, à Petro, Iacobo & Ioanne apostolis, Hierosolymis episcopum esse or- *anicu pa pæ eccle- siis p Gal liam con- stitutus di- recta.*